

Venetam stationem annavigabat, pugnam convicio efflagitans. Perstabant nihilominus Contarenus & alii in proposito, prælio abstinentes; mittebantur tamen celerrima navigia, quæ sua levitate incurfantia Ligusticas naves missilibus inceserunt. Demum Pisanus, contempta hostium paucitate, permittente Principe, quinque & viginti triremes portu educit: atque in altum nonnihil provectus, in hostem qui ad Fossionem erat, proras repente dirigit. Venientem Ligur expectare non est ausus: sed confestim subducta classe, Anconem versus fugam capeffit. Eum abeuntem longius persequi Venetus noluit, ne injussu Principis ab obsidione nimium recederet. Tentata est per eos dies ad levandam multitudinem nova eruptio, centum parvis navigiis ex ædificiorum materia ad id celeriter fabricatis, quorum singula decem remis agebantur. Convenerat inter hostes (nam classis paulo post quam fugata est, ad pristinam stationem redierat) ut triremibus ad portum admotis, ubi clamore & strepitu oculos omnium animosque occupassent (creverat Ligusticarum numerus, supplementis domo Dalmatiaque nuper acceptis) tum tres longæ naves, quam proxime possent, e regione parvæ Clodiæ litoribus accederent. Interea, qui in urbe erant, per internas aquas, quibus præter Marianam portam ac parvam Clodiam navigatur, eruptionem facerent, ac quum ad mare ventum esset, continuo triremes conscenderent. Grannellus Perensis subitæ illius eruptionis dux erat: is ubi omnia comparata vidit, dat signum suis ad erumpendum. Qui in Zenicis castris erant, id conspicati, subito Principi nunciant, rem ad eruptionem spectare. Ad eam fugam impediendam celerrima navigia continuo expediuntur, quæ transversis aquis in hostem invecita subito pavore venientem fundunt. Quinquaginta hostium naves oppressæ: plerique ex hostibus cæsi: circiter octoginta, & in his Grannellus, capti dicuntur: reliqui fuga dilapsi in urbem abiere. Blundus scribit, tentasse Ligurem catenam, cetheis navibus circa portum ab initio merfis hærentem, rescindere, quando ex alto Marus Ligusticæ classis præfectus in Venetas

*Genueses
circa Clodiam ingenti prælio
victi.*